UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 16. Locus Virgilij è Thucydide effictus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70864

Visual Library

des fuerunt: quorum vterq. futura prænoſcere ac prædicere putabatur. Docet id Clemens Alexandrinus, cuius hæc verba ſunt è primo στρωμάτων. Ἤδη δὲ καὶ ἐν Ἕλλησι χρησμολόγοι συχνοὶ γεγονέναι φέρονται, ὡς οἱ βάκιδες, ὁ μὲν βοιώτιος, ὁ δὲ ἀρκὰς πολλὰ πολλοῖς προαγορεύσαντες. Tertium Atheniēſem addit Philetas apud Suidam. Bœotij tamen frequentiſſima apud veteres mentio.

Locus Virgilij è Thucydide effictus.

CAPVT XVI.

QVI collegerunt indicaruntque locos Virgilij ex aliis ſcriptoribus expreſſos, ad illum verſum ex quarto Æneidos,

Ille dies primus lethi primusq; malorum
Cauſa fuit,

alij alia notarunt. Ego autem exiſtimo, Virgilium habuiſſe tunc in animo dictum Meleſippi Spartiatæ, qui principio belli Peloponneſiaci cùm ad pertentandos animos Athenienſium miſſus eſſet: eumque illi inauditum ſtatim ad ſuos redire iuſſiſſent, ex Atticæ finibus excedens dixiſſe fertur, illum diem Græciæ magnorum malorum principium fore. qua de re ita Thucydides libro ſecundo: ὁ δὲ ἐπειδὴ ἐπὶ τοῖς ὁρίοις ἐγένετο, καὶ ἔμελλε διαλύεσθαι, τοσόνδε εἰπὼν, ἐπορεύετο, ὅτι ἥδε ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει. fuit autem Virgilius grauiſſimi illius rerum ſcriptoris ſtudioſiſſimus, ut multis certiſque argumentis peruinci facilè poſſet.

Probam vocem eſſe, Exanclare, *& temerè ab aliis damnatam.* CAP. XVII.

EXANTLANDI verbū numquid à Latinis ſcriptoribus vſurpatum ſit, pro certo & explorato ſtatuere non auſim. Si quis tamen ex me, quid ſentiam, roget,